



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

§. 7. De infamia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

publica c. 18. num. 24. Treutler. Vol. 1. Disput. 4. num. 9. Vebner. in Verb. Acht, Bannu Schyvanman. l. 1. processuum c. 72.

§. VII.

De Infamia.

I Sifama est illæ dignitatis status, legibus ac moribus comprobatus, ut communiter DD. sensus fert. l. cognitionem ff. de var. & extraord. cognit. bene describitur Infamia, læsa dignitatis qualitas vita & moribus reprobata. Brevius dices Famæ privationem esse. Nomine dignitatis Azor l. 2. num. 12. intelligi vult non honorem publicum, seu æstimationem multorum ut aliàs solet, sed potentiam cuilibet homini à natura tributam, quatenus homo est. Homo enim dignior est omni creatura, cum ei omnia serviant. Sed nihil causæ est, cur à communi & recepto DD. sensu recedamus. Differt ab Ignominia, quod hæc imponitur ab eo, qui potest animadversione notare; cum infamia stet nexa in vulgi pectore, ut Varro loquitur Læsius c. 11. D. 1. Azor part. 11. l. 13 c. 6 §. quinto notandum. Silvest. Rodericq. IV. tit. 2. c. 13. Boec. Disp. 2. Tho. 9. Treutler. Vol. 1. Disp. 8. num. 4. Em. Sa. V. Infamia num. 1.

II. Infamia duplex est Juris, & facti. Infamia juris sola auctoritate legis, vel Canonis nominatim infligitur. Unde ex famosis actionibus condemnatus justam nominis maculam contrahit. Infamia facti ex ipsa rei indignitate secundum censuram bonorum virorum est. l. 3 ff. de obsequiis à liberis, & libertis &c. Licet enim, inquit Paulus, verbis edicti non ha-

beantur infames ita condemnati, re tamen ipsa, & hominum opinione non effugiunt infamiæ notam. Non sufficit autem quorumlibet hominum opinio ad infamiam facti, sed illa quæ à viris probis, ac fide dignis, non ab inimicis, malevolis, infamibus, aut despectis ortum habet, l. Decurionum C. de pren. c. Cum in juventute de purgat. Can. De infamia facti vetus dictum est. Turpitude vitæ, infamia ejus est: & quædam flagitia ex natura sua dedecus habent. Azor 11. l. 6. c. 7. qu. 3. §. sciendum etiam Armilla V. Infamia. Porro hæc Infamia ut legalis censeatur, à jure habeat annexam maculam vel statuentem, vel approbantem oportet. V. Gibalinum de irregular. pag. 373.

III. Juris infamia ex delictorum varietate duplex est. Nam primò oritur ex delicto proprio, cui leges infamiam addiderunt, vel per se, vel mediante iudicis sententia. Atrocior infamiam adferunt per se, ut lenocinium, usura, læsæ, majestatis crimen, & similia. In aliis regulariter iudicis sententia requiritur, sive publica, sive privata sint. Nam sola judicialis probatio, aut confessio criminis non habentis ipso jure infamiam annexam, neminem infamem reddit. Si tamen ex causa processus omittatur, & sententia, reus autem crimen confessus, aut in eo deprehensus sustigatione, aut simili poena castigetur, infamiam simul auferet. Iul. Clarus l. 5. quæst. 72. Comit. l. 6. quæst. 57. Tholos l. 31. c. 29. Secundò infamia oritur etiam ex alieno delicto, puta parentum, qui criminis læsæ majestatis rei sunt. l. quisquis. §. filiis C. ad l. lul. majest. Similis infamia Jure Canonico

h h 2 ia

in *c. felicis de pen. in 6.* irrogatur filiis, & nepotibus eorum, qui S. R. E. Cardinalem hostiliter persequuntur: vel oritur ex vili conditione personarum, cujusmodi sunt histriones, lenones, & simil. Vel ex defectu legitimæ nativitatis, ut spurii contingit. *Abb. in c. per Venerabilem num. 3 qui filii sint legit.* quamvis illegitimi non simpliciter, sed quoad effectus quosdam infames censendi sint *Mol. tract. 4. qu. 7. Suar V. D. 50. Sect. 3. Tholos. l. 31. Syn. c. 29. Layman. l. 1. tract. 5. c. 4. Filliut. tract. 19. c. 8. Treutler. Vol. 1. Disp. 8. n. 5. & sequent.*

IV. Fieri potest, ut quis utroque jure, Civili, & Canonico simul infamis sit, communiter verò uno tantum. Neque enim omnis, qui jure civili infamis censetur, etiam Pontificio talis est. *c. Euphemium. & c. proximo 2. q. 3. in nubente secundo viro c. pen. de secund. nupt. l. 5. C. eod.* Ut plurimum tamen utraque conjunctim infamia reperitur, ita ut Jure Canonico infamis habeatur, qui in civili infamis reputatur. *c. Omnes verò 6 q. 1. Ubi Adrianus Papa.* Omnes infames esse dicimus, quos leges sæculi infames appellant. *V. Barb. ibi. Azor II. l. 6. c. 7. quæst. 3. Silv. V. Infamia num. 11. Panorm. in c. ex diligenti de Simon. Tholos. l. cit. num. 9.*

V. Infamia Jure Canonico irrogatur, vel ex peccato mortali, in quo notoriè peccator perseverat. *c. Testimonium. de rest. c. constituimus 3. quæst. 5. c. illi qui 6. quæst. 1.* Vel ex sententia excommunicationis *c. infames quæst. 1.* Ultramque absolutio Sacramentalis tollit, congrua satisfactione præstita. *c. illi qui c. præceptum 32. q. 5. Silv. l. cit.* Infames speciatim numerantur in *c. constituimus 3. q. 6. c. infames 6. q. 1. homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores,*

adulteri, incestuosi, venefici, perjuri, falsi testes, & similes, quos supra diximus Tit. V. s. 1. à testimonio ferendo repelli. *V. Piacetium part. 1. c. 1. §. de honest. vitæ.* Eiusdem fortis sunt hæretici, histriones, Ecclesiasticorum bonorum direptores, Simoniaci, calumniatores superiorum, Clerici sua culpa irregulares facti, & qui adversus Sacerdotes ex malitia armantur. *c. Sacerdotes 6 quæst. 1.* His addendos esse nominatim prævaricatores censet *Iul. Clarus quæst. 72. Roderic. verò II. quæst. 22. art. 6.* De regularibus loquens, Juris infamia notari fratres ait, qui ex suæ professionis gradu dejecti, & carceri mancipati, activa, & passiva voce carent: vel qui ut malefici, & detractores condemnati sunt, quod notatu dignum. Omnes enim ejusmodi ad testimonium ferendum, aut accusandum nullatenus idonei censentur. Cujus rei ratio est, quòd sicut Imperator auferens alicui insignia vel in exilium mittens, infamem eum reddit *ff. de his, qui nor. infam. ita.* & multò magis de supradictis intelligendum est. Eadem nota asperfi sunt, quos religio expulit, vel qui ab ea leviter si ipsos separarunt, aut fugerunt: quæ infamia duobus testibus probari debet secundum *Gotofredum, & Joannem Andrea. Ita Roder. IV. tit. 2. c. 13.*

VI. Sed benè à *Molina* annotatur in *Tract. IV. Disp. 8.* hoc tempore Juris Canonici rigor ille, ut ex quolibet peccato mortali infamia contrahatur, remissus est, nec tam strictè observatur, saltem respectu aliquorum effectuum; quamvis expediret, neminem nisi emendatione præmissa ad ordines sacros, & beneficia Ecclesiastica admittere. *Concil. Trid. Sess. 22. c. 1. Navar. Consil. 4. de regularib.* Multò minus

minus jure civili infamia cuiuslibet criminis addita est, ut continuo censeatur infamis, qui damnatus est: sed infames habentur, qui crimine publico tenentur, vel privato furti, bonorum vi raptorum, & iniuriarum. *l. infamem. ff. de publ. iud.* De aliis pluribus *Iulianus, Caius, Ulpianus, Paulus, & alii. l. c. propriis titulis ff. de his qui notant. infamia. & c. eod. tit. innoc. in c. qualiter & quando. de accusat. Silvest. Arm. Taberna in V. infamia. Iul. Clarus. q. 72. Roder. Tom. 4. tit. 2. c. 13. Dynus in Reg. infamibus. Barbo. in Reg. iur. in 6. infamibus porta non pateant dignitatum.*

VII. Infamia facti seu popularis ingratii odiosi, & amari sunt. Nam i a ferendo testimonio reicit. *c. Constituimus. 3. q. 9. l. 3. §. lege Iulia ff. de testibus. 2. a munere Advocati, procuratoris, assessoris, & Iudicis. c. Infames. 3. q. 7. l. 1. §. ait prator. ff. de postulando. 3. ab omni dignitate generaliter excludit infamia, quæ iuris est. l. Ne quis. C. de decurion. Quæ verò facti est, seu popularis non excludit, à beneficiis, & dignitatibus ipso facto, sed iudicis sententia requiritur. *Car. Par. 7. c. 8. Mol. Tr. 4. q. 7. 4. non permittitur, ut infames sint arbitri. l. Pedius. 4. ff. de arb. 5. Ordinibus laicis negantur. c. Omnipotens. de accus. c. tantum si. dist. 6. promoti etiam suspenduntur, c. sin. de postul. Pralator. 6. Si infamis institutus fuerit hæres, facit ut frater, qui alioqui repellitur ab inofficiosi testamenti querela contra testamentum fratris possit admitti. l. fratris. C. de inoff. testam. 7. collationem beneficii factam infami, ipso jure nullam existimat. Panorm. licet superveniens non privet beneficio. Quæ opinio ut vera sit, nec de omni beneficio, etiam simplici, nec de qualibet, & unde-**

cunq̄ue nata infamia intelligi debet. Illegitimos ad beneficia inhabiles esse diximus. *Par. 1. tit. 2. §. 1. Fill. Tract. 19. c. 8. V. Azor. II. l. 6. §. 7. q. 7. Tolet. l. 1. c. 62. Laym. l. 1. tit. 5. c. par. 5. c. 4.*

VIII. Infamia facti seu popularis Primò per contrarium factum tollitur. *Panorm. in c. Diligenti de Simonia. Silo. n. 7. Laym. l. 1. tit. 3. pa. 5. c. 4. n. 10. Secundo, per publicam, & constantem vitæ emendationem Navar. Consil. 3. de raptor. Tertiò per dispensationem principis, alteriusve Superioris ad id ius habentis. Panorm. in c. Cum te desent. & re iud. Armilla num. 10. Barb. in c. ex tuarum. de purg. Canon. Quarto. Iuris infamiam solus Princeps tollit in sibi subiectis: & Pontifex in omnibus clericis, & religiosis. *c. cum te desent. & re indicata. l. 1. ff. de postulando. Nec inferiori Principi, qui alium agnoscit ea potestas conceditur. c. Per Venerabilem. Qui filii sint legitimi. Denique à Regularibus infamiam non contractam iure communi Capitulum generale abstergit, vel ipse Generalis cum Definitoribus & collateralibus suis. *Roderic. To. 4. c. 13. nu. 26. Tholos. l. 4. Partuionum. tit. 9. c. 20. V. Venenbec. l. 3. tit. 2. num. 8. Silo. V. infamia. nu. 16. & 17. Armilla num. 6. Em. Sa. n. 3.***

IX. Si quis infamis absque dispensatione legitima ad Dignitatem aliquam electus fuerit, non propterea dispensatus censeatur. *Exiipe, nisi summus Pontifex sciens infamem esse, nihilominus elegit, & instituit. Innoc. in c. Veniens. de fil. presb. Navar. c. 25. nu. 74. Si autem ignoret Pontifex, eligatque infamem, remanet nota aliis mediis abolenda: neque censeri potest verus prælatus, qui sic extollitur, sed electio ipso iure nulla censetur. Hoc ta-*

enem aliqui simulant, ut verum sit de infami notoria tantum, & infamia, quæ à Jure sit. Tunc nimirum ipso iure electionem nullam esse. *Abb. inter dilectos nu. 6. & c. super eo. de elect. Felin. in di. c. nu. 2. Navarr. in c. si quando. de Rescript. Bern. Diaz in Pract. Crim. c. 22. qui num. 2. pœnam clerici aleatoris esse putat, ut repellatur à beneficio obtinendo. Cæterum melius fuerit cum distinctione Quæstionem hanc decidere. Nam si infamia facti laboranti (Suppono per eam, quæ iuris est, beneficii collationem irritam reddi) beneficium conferatur, in foro externo invalida censetur collatio propter irregularitatem: in conscientia autem retinere poterit, modo paratus sit infamiam eluere, & remota irregularitate habilem se reddere. Cùm enim sic provisus nec à jure, nec ab homine condemnatus sit, non convenit tam gravem illi obligationem imponere, ut dimittere beneficium obtentum debeat, cuius recipiendi nulla unquam fortassis expectanda, aut speranda occasio sit. *Vallens. l. 1. de beneficiis. c. 17. Laym. l. 2. Tr. 5. c. 4. num. 6. Silv. V. Beneficium. §. 3. num. 1.**

X. Verùm infamia juris, & quæ ex illa nascitur irregularitas, contrahatur sola criminis admissione etiam occulta, in dubio est.

Affirmativa opinio tribuitur *Antonino Par. 3. tit. 28. c. 2. §. 9. & 7. Silvestro V. Irregularitas q. 14. Suar. V. Disp. 48. Sect. 1. num. 17. ubi docet: abstinendum esse ab actibus ordinum illi, qui occultè commisit crimen cui infamia ipso iure annexa est. Idem Fillint tenet Tract. 19. c. 8. num. 208. E contra negant. Glo in c. Inquisitio*

*nis de accus. Abb. in c. Ex tenore. de temp. ord. in Covar. l. 3. Var. c. 3. Navar. c. 27. num. 248. Coninck Disp. 18. Dub. 7. nu. 56. Henric. l. 13. c. 36. & l. 14. c. 5. num. 2. Avila Par. 7. D. 4. Dub. 7. concl. 1. quibus faveat Regula desumpta ex. c. cit. de temp. ord. quod per nullum crimen occultum excepto homicidio irregularitas contrahatur: de cuius vero intellectu. V. Avilam par. 7. disp. 2. dub. 2.*

R. Per commissionem criminis occulti, cui ipso iure annexa infamia est, infamia contrahitur fundamentaliter, & quasi in radice quæ infamia deinde per publicationem intra, vel extra iudicium efficitur formalis. Cùm enim ipso iure supponamus additam infamiam delicto, aliquem habere effectum debet, saltem incompletum. Quia verò infamia essentialiter consistit in diminutione famæ, ad hanc publicatio requiritur, qua facta infamia perfecta censetur, & irregularitas illi annexa contrahitur. *V. Gibalinum de irreg. pag. 386. An autem, quod aliqui quærunt, criminis infamia, & irregularitas per pœnitentiam tollatur, ex nu. 8. liquet, infamiam juris non nisi per Principis dispensationem tolli, & consequenter annexam illi irregularitatem tam diu manere, quamdiu infamia durat. Suar. lo. cit. Dynus in Reg. infamib. de Reg. iur. in 6. Layman. l. 1. Tr. 5. Par. 5. c. 4. num. 9. & 10. Piassec. Par. 1. c. 1. n. 28. & 26. Fillint lo. cit. num. 223. & seq. Quomodo infamia ex Iudicis sententia proveniens præcaveri, & evitari queat. V. apud Vvesenbecium. l. 3. ff. tit. 2. n. 9.*